

ab hoste se subduxerant , perlato , incredibilis moeror cunctorum animos occupavit ; rumorque adventantis exercitus civitati insuetum adeo metum incussit , ut plerique ad moenia currentes jam propinquos cernere hostes sibi viderentur : senes trepidare ; militum atque civium virtuti , quos juvenile robur ad militiam expeditos reddebat , patriam , uxores , filios commendare : mulieres timore actæ urbem circumire ; cum ejulatu ac lachrymis sacras ædes adire ; Dei ac Superum opem implorare . Sed in ea communi imbellis turbæ trepidatione imperterrita ducum ac militum constantia cernebatur , quos neque Leucosiæ expugnatio , neque hostium adventus , neque oppidanorum consternatio permovebant , quin mutuis adhortationibus insitam animi virtutem excitando , ad egregiam pro religione , ac Veneta Republica navandam operam vicissim incenderentur .

In primis vero Marcus Antonius Bragadenus , cum summo imperio Tamasso præfectus , consilio , virtute , fortitudine ad ingruentem ac propinquam belli molem excipiendam impavidus , cuncta ad potentissimi hostis impetum sustinendum necessaria diligentissime curabat . Qui cum optime nosset , in imperiis urbibusque tuendis absque Dei Optimi Maximi auxilio incassum mortales eniti , in primis ad Divinam opem confugiendum ratus , præfectis , militibus , civibusque adstantibus , in majori basilica missarum solemniter ritu sacrificia peragi , Divinique afflatus auram implorari curavit : quibus celebratis , in hanc fere sententiam est locutus . *Adest jam , fortissimi milites , spectateque fidei cives , tempus illud , quo , Divino favente Numine , virtute nostra , vel vivi atque incolumes ingentium laborum præmia percipiamus , vel spiritum in patria tuenda efflantes , immortalem non modo apud præsentis laudem , sed apud posteros egregii conatus famam deusque consequamur . Quæ etenim aut ad patefaciendam virtutem illustrior , aut ad bene de religione , ac Republica Veneta promerendum præclarior occasio sese nobis objicere potuit ? Brevem profecto hujus lucis usuram nacti sumus , angustum vite curriculum natura nobis est elargita ; famam factis extendere , atque maximarum rerum memoria cum æternitate certare , id singulari quodam beneficio in nobis summus rerum*

*Marcii Antonii Bragadeni , Tamassi præfecti , oratio .*